



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epitome Tribvnalis Sacramentalis Reverendissimi Patris Petri Marchantii

Zurmöllen, Heinrich

Neuhusii, 1677

Art. 2. De Stupro

urn:nbn:de:hbz:466:1-9734

honoris suo derogatum iri, aut nimia libidine conantur dissolvere conceptum, aut inchoatum actum carnis divertere, ne semen penetret: aut agitationibus excutere: aut potiones meretrici dare quibus vel conceptus impediatur, vel formatus expellatur, sive ante sive post animatum fatum quæ omnia sunt gravissima peccata. 2. Neglecta cura prolis ob incertitudinem parentis, quia meretrix pluribus addicta est: sive quia parens non vult prolem suam agnoscere, ad quod tamen sub peccato mortali tenetur. 3. Hinc exponuntur pueruli non sine periculo mortis, vel pravæ educationis, & consequenter æternæ damnationis, quorum omnium causa sunt fornicatores.

Articulus Secundus.

De Stupro.

Stuprum est defloratio virginis contra ipsius liberam voluntatem, si vero virgo consentiat libere in copulam, non est stuprum quod singularem speciem luxuriæ constituit, quia patienti libere coitum injuri

injuria non fit. Si autem non consentiat, stuprum præter peccatum mortale illiciti concubitus, superaddit malitiam gravem injuriæ virgini illatæ, ratione cujus speciem distinctam luxuriæ constituit. Cum enim integritas claustrum virginalis sit donum summæ æstimationis: gravissimam injuriam & injustitiam committere censetur, qui contra voluntatem Virginis Claustrum virginalis frangit, & si talis deflorator promiserit virgini Matrimonium tenetur eam ducere in foro conscientiæ etsi nulla adesset promissionis probatio: in casu autem quo illam ducere non possit, tenetur ad dotem, secundum æstimationem prudentem, & qualitatem ac divitias personæ quæ promisit.

Articulus Tertius.

De Raptu.

Raptus est eductio violenta puellæ sive corruptæ sive incorruptæ, à domo Patris vel quasi patris, eo prætextu ut in uxorem habeatur. Dicitur (eductio violenta) quia si libere consentiat & libere cooperetur,